

**Landesbibliothek Oldenburg**

**Digitalisierung von Drucken**

**Disputationes Chirurgicæ Selectæ**

**Haller, Albrecht von**

**Lausannæ, MDCCLV.**

**VD18 90538919**

LXXV. Dissertatio Medico-Chirurgica, De Hydrocele.

**urn:nbn:de:gbv:45:1-16590**

L X X V.

DISSERTATIO  
MEDICO-CHIRURGICA,

D E

HYDROCELE.

*Quam Præside*

D. D. LAUR. HEISTERO;

*Tuebatur*

MARTIN. ARNOLD. BUTZER

EMBDANENSIS.

Helmstadii 30 Decembris anno 1743.



MDCCCLXXV  
THESE RATIONES  
MEDICO-CHIRURGICAE  
DE  
HYDROCEPHALIA  
AUCTOR  
D. D. LAUR. HUBERTUS  
MARTIN ARNOLD BUTNER  
PHYSICUS  
Halleb. in Decemb. anno 1775



## I.

Cum superiori ætate cum multis medicinæ Studioſis a Cel. Dn. Præſide Introitus. viderim operationem & curationem chirurgicam *Hydroceles* in juvene perfici, qui hoc morbo laborabat, atque hucusque non viderim diſſertationem, quæ de hoc morbo moleſto & magni ſane momenti egit, operæ pretium eſſe exiſtimavi, ut hoc argumentum pro themate inaugurali mihi eligerem, atque intimius illius genium ac naturam excuterem.

## I I.

*Hydrocele* mihi *deſinitur*, quod ſit *ſpecies herniæ* ſive *tumoris ſcroti*, ubi *Definitio morbi.* in *tunica ejus*, *vaginali dicta*, *magna*, immo quandoque maxima ſeri copia præter naturam colligitur. *Scrotum* inde nunc aliquo modo tantum, nunc vero in aliis in magnam admodum molem, non ſolum cum moleſtia & incommodis ægrorum, verum & cum læſione variarum actionum intumeſcit.

## I I I.

*Originem ducit vocabulum hydroceles* græcum ab *ἵδωρ*, *aqua*, & *κῆλη*, *Etymologia.* *hernia* ſive *tumor*, & hinc Latinis dici ſolet *hernia aquoſa*: quia ut jam dictum eſt, *aqua* ſive liquor aquoſus præter naturam modo parca, modo larga copia in ſcroto colligitur, atque hinc noſtratibus *Waſſerbruch*, Belgis, *Water Breuk*; Anglis, *Water rupture*; Gallis, *hydrocele* ſive *herniæ aqueuſe* & Italis *ernia aquoſa* appellatur.

## I V.

Quamvis hic morbus ab antiquiſſimis medicis ad *hernias eaſque veras* fuerit *relatus*, dum quemvis tumorem ſive intumeſcentiam ſcroti pro *hernia* ſive *ramice*, ut ex præſtantiffimo veterum Romanorum medico, *Celfo* libr. VII. cap. 18. & ſeq. videri poteſt, ſuſceperint; ſunt tamen inter recentiores multi pruritu innovandi occupati, qui ſub *herniæ* nomine aliter, quam veteribus in uſu erat, abſque ratione ſufficiente non niſi *prolapſum inteſtinorum* vel *omentis* vel utriuſque ex abdomine intelligi volunt. Verum ego, ubi de nomine morborum antiquorum ſermo ſive liſ eſt, ſentire hic malo cum medicinæ ſtatoribus ac parentibus, vetuſtiſſimis ſcilicet medicis, quibus jus erat morbis nomina dare, & vulgo, qui quocumque tumores ſcroti, ſive illi a prolapſu alicujus partis ex abdomine, ſive ab alia materia & cauſſa oriuntur, nomine *herniarum*, & recte quidem indignant atque intelligunt.

Tom. III.

T t

V.



## V.

Divisio  
hernia-  
rum.

Quidam ergo hernias in *veras* & *spurias* distinguunt, atque hydroce-  
len, sarcocelen, varicocelen &c. ad *spurias* referunt; sed *sub hernia vera*  
*nomine* tantum illos tumores in scroto & alias circa abdomen, nimirum in  
inguinibus, umbilico aut alia ventris parte intelligi volunt, *ubi aliquid ex*  
*abdomine prolapsum*, tumorem facit, ejusque causam constituit. Sufficit  
mihi, quod *hydrocele hernia sit*, sive quis eam inter veras sive inter spu-  
rias referre velit. In eo tamen omnes conveniunt, *quod*, sicut in defini-  
tione §. I. dixi, *sit tumor scroti*, ab *aquæ collectione* p. n. in eo produ-  
ctus, ideoque facilis ero in verbis, dum de lana caprina non litigabo, si  
modo conveniamus in re, & bona eam curandi methodus doceatur.

## V I.

Hydroce-  
les diffe-  
rentiæ.

Varia ejus dantur *differentiæ*: quædam enim est *recens*, alia *inveterata*;  
alia *parva*, alia *magna*, unam ad duas libras liquidi aquosi sive serosi con-  
tinens; alia *maxima*, sive tam ingens, ut caput humanum superet,  
immo ad genua & supra illa dependeat, quemadmodum Ill. Dn. Præses  
ejusmodi ingentes hernias aquosas vidit. Plerumque tantum est *in uno scro-  
ti latere*, sed sine dubio etiam interdum esse potest *in utroque*. Quando-  
que, præsertim si parvus adhuc est, *mollior* existit, *plerumque vero valde*  
*durus*, quia tunicæ ab humore contento vehementer extensæ sunt. In ca-  
lore sæpius paulo *molliores* fiunt, in frigore vero rursus *duriores*. In ple-  
risque humor contentus est *pellucidus*, in quibusdam vero *turbidus*, aut  
*fiscus* aut *sanguinolentus*, ut Ill. Dn. Præses aliquoties expertus est. Inter-  
dum est *simplex*, ubi nullum aliud vitium simul adest; alia *composita* sive  
complicata, quando nimirum præter liquidum aquosum testiculus *scirrho-  
sus* est, vel intestina simul in scroto adsunt. Hanc *hydroenterocelen*, *illam*  
*hydrosarcocelen* appellant. Nos vero hic potissimum de *simplici* hernia a-  
quosa acturi sumus. Quandoque vero aqua in scroti tantum tegumentis  
sive involucris communibus, & speciatim in tunica pinguedinis sive adi-  
pis, vel ut hodie a multis appellari solet, barbaro vocabulo *cellulari*, quæ  
vero ex loco, ubi aqua hæret, ab affectu nostro distinguitur, qua  
de re inferius plura.

## V I I.

Anatomi-  
ca confi-  
deratio  
partium  
est neces-  
saria.

Possimus nunc ad signa & causas ejus considerandas progredi; verum  
lubet prius *partes illas*, in quibus *hernia aquosa* sedem suam habet, *ana-  
tomice considerare*, harumque *partium fabricam* exponere; quia anatomia  
fundamentum est solidissimum, sicut in quam plurimis aliis morbis, præ-  
sertim

fertim chirurgiæ subjectis, ita & in hoc nostro: & qui illam non intelligit, neque recte de ejus constitutione, neque rite & solide de ejus curatione judicare, multo minus in ea, quæ per scalpellum, aut per alia chirurgica remedia perficitur, operatione legitime procedere poterit.

## VIII.

Quoniam vero *scrotum* affectus illius, de quo hic agere constituimus, <sup>x. Scroti & quid sit.</sup> *sedes* est, ejus constitutionem & fabricam, una cum partium contentarum, quatenus ad scopum nostrum faciunt, hic dabimus. *Scrotum* dicitur ea pars corporis virilis, quæ sub membro virili, inter femora sita est, & instar sacculi cujusdam, duplici loculo instructi, testiculos viriles una cum partibus ad hos pertinentibus continet atque asservat, eisque pro involucre inservit.

## IX.

Testiculi vero in scroto *involucra* habent *duplicis generis*; quædam enim *involucra communia*, quædam *propria* dicuntur. *Communias* sunt, quæ utrumque testiculum simul involvunt, qualia sunt generalia illa tria totius corporis *tegumenta* sive involucre, *cuticula* scilicet sive *epidermis*, *cutis* & *pinguedo*, quam vulgo *tunicam adiposam*, ob adipem sive pinguedinem, quam continent, & recentiores *cellularem*, ob multas cellulas, ex quibus constat, appellare solent, *cutisque* & *tunica adiposa* in scroto *admodum tenuia* sunt. Quamvis vero hæc tria utrumque testiculum involvant, tamen per medium secundum longitudinem, a parte inferiore penis, ubi urethra in eo sita est, species divisionis conspicitur, quæ *sutura scroti*, græcè *raphé* vocari solet, qua scrotum in dextram & sinistram partem dispescitur, quamvis hæc sutura non profundius in scrotum penetret sive descendat, quam reliqua cutis scroti, adeoque & ceteras interiores partes non disjunctat sive distinguat, sed solum involvat. *Originem* sive potius *continuitatem* habet hæc cutis a parte cutis inferiori & anteriori abdominis ac penis, & deinde a perinæo, cum quibus continua est, atque testiculis in forma subrotunda superextenditur, eosque sic commode sustentare potest. Huic subjacet tunica pinguedinis sive adipis, quæ tenuis hic est, & aliquo modo intra duplicem parietem septi scroti se insinuat, quæ potissimum in ita dicto *hydrope scroti* afficitur, & a se ibidem collecto plus minusve tunc extenditur.

## X.

Ad specialia sive *propria tegumenta* aut si *maioris involucre testium* primo referenda est membrana robusta musculosa, forma quasi ovata, prioribus <sup>Membrana dartus.</sup> subjecta, quæ *dartus* appellatur, sic tamen, ut in uno scroto duæ ejusmodi



modi sint membranæ, altera in dextro, altera in sinistro ejus latere, quarum quælibet seorsim unum testiculum, cum ceteris suis propriis involucribus instar sacculi ambit, atque laxè tam cum cute, quam cum subsequenti tunica vaginali cohæret, ejusque ope scrotum corrugari solet. *Figura ejus cum testiculo sicut & subsequentes quodammodo convenit, hoc est, subrotunda sive ovata est, & cum superiori parte penis inferiori parti adhæret.*

## X I.

Septum  
scroti  
quid.

Attamen in medio scroti, eo in loco, ubi futura in cute ejus extus conspicitur, inter se invicem arctè connectuntur, atque hac duplicis darti membranæ conjunctione *septum scroti*, quod vocant, efficiunt, quo non solum in statu naturali testiculi a se invicem distinguuntur, & cuiusque peculiaris quasi locus sive camera constituitur; verum & in statu morbofo, præsertim in *hydrocele*, una cum tunica vaginali impediunt, ne serum vel lymphæ in uno scroti latere effusum, aut in aliis morbis pus aliave materia noxia, quæ unum testiculum affligit, etiam mox alterum simul afficiat, atque damnum aliquod ei inferat. Hic paries medius duplex, sive septum scroti testiculis interjectum, quia remota cute scalpello per artem a se invicem separari, atque sic in duos loculos dividi potest. *Ravius* celebris quondam anatomicus & chirurgus Germanus in Belgio *homini non unum, sed duo esse scrota* sustinere voluit, atque hanc ob rem acerbas lites cum *Celeb. Ruyschio* inchoavit; qua de re & hujus & illius epistolæ de *septo scroti* Amstelodami tunc anno 1696. & seqq. impressæ, uberius, cui libet, videri possunt.

## X I I.

Tunica  
vaginalis.

Hanc membranam sequitur *tunica vaginalis* dicta, quia testiculum quasi ut in vagina continet cum suo musculo *cremaster* dicto, quæ tunica laxè & fere ad modum pericardii, quo cor ambit, testiculum cingit, figuræ quoque ovatæ, & si, facto prius in ea vulnuscule sive foramine, tubulo inflatur, *multum magnitudinem testiculi superat*, atque lubrico humore semper, qui forte ut liquor pericardii ex testiculo transudat, imbuta est, ne cum testiculo concresecat, & ut ab hoc etiam testiculus in debita mollitie & flexilitate conservari possit. *Oritur hæc tunica* a tunica peritonæi externa vel potius continua est cum exteriori peritonæi lamina, quæ per annulum musculi oblique ascendens per inguina ad scrotum descendit, & vulgo *processus peritonæi* vocatur, atque vasa spermatica ex abdomine ibidem egredientia involvit, atque ad testiculos deducit, & quando ad eos pervenit, multum dilatatur, atque *tunicam hanc vaginalem constituit*, ubi tamen adhuc notandum, quod hic processus, ubi fere ad testiculum pervenit, ita cum vasibus spermaticis ibidem concresecat, *ut cavitas tunice vaginalis cum pro-*

*processus cavo nullam habeat communicationem*, ita, ut si flatus per exiguum foraminulum aut vulnusculum huic tunicæ in parte ejus inferiori inflictum, per tubulum immittatur, ille non in processus peritonæi penetret, neque flatus a regione ventris in processum peritonæi in tunicæ vaginalis cavum injectus descendat, sed inter hæc duo cava quasi paries membranaceus sive septum interjectum sit, ne flatus, adeoque etiam nec aër, nec liquores, nec aliæ res ex una in alteram partem transire queant, quo sepimento fit, ut varia phænomena circa hernias varias & speciatim hydrocelen & enterocelen explicari atque intelligi possint, quæ ab illis, qui hoc sepimentum ignorant, non intelliguntur & explicari nequeunt, de quibus vero post hæc plura [a].

## XIII.

Hoc unicum solum hic adhuc monere volui, quod musculus *cremaster*, Musculus *cremaster*, qui & *elevator testiculi* appellatur, tendinea sua expansione tunicam vaginalem ambiat, hinc & a quibusdam *pro peculiari tunica habetur*, & cum hic ortum sive punctum fixum habeat fibris carnis circa infimam abdominis partem, ex hujus musculis, quando se contrahit, tunicam vaginalem, & sic simul testiculum intus contentum elevat, & ad colem adducit. Plura quidem de hoc musculo dici possent; verum quia ad institutum & scopum meum non pertinet, hic brevitate causa ea prætermitto. Qui vero plura de eo scire desiderat evolvere potest Cel. *Dn. Presidis* Compend. Anat. §. 343. pag. 197. aliosve anatomicos recentiores.

## XIV.

Ultima eaque maxime propria testiculi tunica *alba* & *nervea* a *Celfo* Lib. *Tunica* VII. cap. 18. recte vocatur; *alba* ob colorem, & *nervea* ob sensum ita *nervea*, dicta, admodum robusta & figuræ *ovata* arctèque cum substantia reliqua testiculi vasculosa coalita, quæ vasa spermatica, arterias scilicet, venas & nervos recipit, eaque ad testiculum ipsum sive ejus substantiam interioriorem transmittit, pro liquido feminali sive genitura inde secernendo. Hæc tunica quoque arctè complectitur *epididymidem* alteram testiculi quasi partem & appendicem, ejusque vascula, ut in testiculo firmiter compingit.

## XV.

[a] Hoc septum etiam jam novit *Bonetus*, utpote qui in *Sepulchret.* p. 1292. obs. 2. ait: *Testis equidem tunica involuitur vaginali; at ea non extendit se ultra testem, sed circa vasorum pyramidalium basin definit, testis unita, adeoque transitus hic loci nullus versus abdomen, & vice versa.*

## X V.

Vasa scroti  
& testi-  
culi.

*Vasa sanguifera scrotum* habet tam arterias, quam venas, a cruralibus & hypogastricis, unde *pudenda* eæ vocantur, quæ ad scrotum in viris abeunt. *Testiculi* vero, præter communia quædam cum scroto, quæ per exteriores ejus tunicas dartum scilicet & vaginalem disseminantur, *arterias* obtinent *spermaticas* dictas, exiles, ut plurimum ex aorta descendente, angusto principio ortas, quæ utrinque per annulos musculorum abdominis super os pubis e ventre egrediuntur & per inguina in processibus peritonæi ad scrotum & ad testiculos descendunt, ubi arteria ut plurimum in duos ramos distribuitur, quorum alter ad *testiculum* ipsum & proprie sic dictum, alter ad *epididymidem* abit, ibique in minores ac minimos tandem ramulos divisi per utriusque substantiam undiquaque dispescuntur, partim pro testiculo nutriendo, partim pro liquido genitali inde fecernendo. *Venarum* testiculi *dextra* in venam cavam, sinistra vero plerumque in emulgentem sinistram se inserit, copiosissimis vero radicibus sive ramulis ex testiculorum substantia prodeunt. Valvulis sæpe destitutæ sunt, variæque & *mirabiles anastomoses* conficiunt, a *Graafio* lib. de part. genital. virorum Tab. I. fig. 2. optime delineatas, quas nonnulli *corpus pampini-forme* sive *pyramidale* ob figuram appellant, quæ per processus peritonæi super os pubis, per annulos musculorum abdominis juxta arterias, eisque intermixtæ in ventrem ascendunt, & sanguinem a nutritione ac generaturæ secretionem supervacaneum, ad venas prædictas & cor revehunt.

## X V I.

Nervi &  
vasa lym-  
phatica.

Nervi a plexibus nervorum pelvis & lumbaribus satis multi ad testiculos cum arteriis abeunt, & per tunicam albugineam, quæ *nervea* propterea vocatur, testiculos ingrediuntur, unde valde sensibilis est, qui spiritus testiculis pro variis ad generationem necessariis usibus inferunt. Denique & *vasa lymphatica* in testiculorum superficie in viventibus animalibus conspiciuntur, quæ lympham ex ipsis post liquidi genitalis separationem abundantem per processus peritonæi quoque in ventrem revehunt. In hominibus vero *Glissonius* ea quoque vidisse perhibetur a Thom. *Bartholino* in Anatom. Reform. cap. XXXII. de testibus.

## X V I I.

Testiculi  
& epididymidis  
fabrica.

*Situs, numerus, magnitudo ac figura* etiam *testiculorum* omnibus adeo nota sunt, ut non opus esse existimem his diutius immorari, sed si quis forte hæc ignoret, aut solum quid auctores de iis scripserint, nosse velit, eum ad *Graafii* modo laudatum librum aliosque anatomicos ablegabo. Ra-  
tione

tione *situs* tamen hoc solum monebo, quod *siti* sint in tunica scroti vaginali §. XII. & ope hujus adhærent septo scroti, ne in nimis motibus, & concussionibus corporis vehementioribus rudius concutiantur, & noxam forte inde patiantur. *Constat testiculus quilibet ex testiculo ipso*, ac deinde ex *epididymide*, sive *parastata*, conf. *Graafii* Tab. II. fig. 2. & 3. quæ ex manifesta & mira vasorum seminalium ex testiculis ortorum, ac longe ampliorum, quam in testibus sunt, congerie compositæ sunt, liquidumque genitale in testibus secretum, & aliquo modo præparatum ex his recipiunt, uberius perficiunt, illudque tandem, post diuturnos in his circuitus & coctiones in *vas deferens* dictum dimittunt, per quod postea ad *vesiculas seminales* deponitur, & suo tempore pro fetus novi generatione per urethram in arum muliebrem deponitur. Quod cujus naturæ sit, & utrum *vermiculi* aut alia viva *animalcula* ei, ut quam plurimi hodie cum *Lewwenhoekio* & *Boerhavio* statuunt & credunt, insint, hoc loco non investigabo, quia ad scopum meum non pertinent, sed aliis uberius peruestigandum atque discutiendum relinquam.

## XVIII.

*Substantia testium* ipsa, licet ex *Celsi* sententia *glandulis simile* quid in figura ac substantia habeant, atque etiam aliquid, ut *glandule* multæ aliæ solent, fecernant, tamen nullæ glandulæ in ipsorum substantiâ sive corpore conspiciuntur; sed ex tenuissimorum vasculorum albicantium, filis tenuissimis similium, peculiaris generis congerie, mireque & intestinorum more complicatarum fabrica constant [ *b* ] membranulis sive sepimentis pluribus & corpore *Higmorei* vario modo inter se distincta ac firmata, ut certo ordine & situ contineantur, (sicut videre est in *Graafii* Tab. III. fig. 4. ex cane, atque Tab. IV. fig. 4. & 5. ex homine) quo munere suo ad propagationem generis humani adeo necessario tanto melius fungi possint. Atque hæc erunt illæ partes, in quibus & circa quas morbus ille, de quo hic agimus, sedem suam habet, & quo quandoque quidam misere corrumpuntur.

Interior  
substantia  
testiculi.

## XIX.

*Causam hydroceles* proximam esse *serum* vel *lympham* manifesto docet liquor, qui ut plurimum in ejusmodi malis in cavo scroti deprehenditur. Serum & *lympham* a physiologis ut plurimum tenuitate, sicut illud est, quod in vasis lymphaticis vehitur, distinguuntur, dum *serum* *spissius* & glutinosius, *lympham* vero *tenuius liquidum esse* dicunt, atque vix aliam quam tenuitatis majoris vel minoris differentiam hæc inter liquida constituunt.

Hanc

[ *b* ] Videri hæc possunt *resoluta* in *Cel. D. Præsidis* Comp. Anatom. fig. 24. eaque sic in natura in museo ipsius vidi.



Hanc si fundamenti loco assumimus sententiam, serum frequentius ejus causam esse existimo, quam lympham. Nam in hydrocele illa (§. I.) liquidum erat quidem pellucidum, sed adeo spissum, ut fere albo ovi spissitudine simile fuerit; in aliis vero quam plurimis, quos *Dn. Praeses* ab hoc malo curavit, hoc liquidum ita deprehendit, ut licet satis tenue apparuerit, tamen ad tactum glutinosum esset, & quando in cochleari super candelam vel prunas ignitas per breve tantum tempus teneretur, in massam albi ovorum cocti coiverit, id quod lympham ex vasis lymphaticis collecta tantopere & tam cito facere non solet.

## X X.

Quomodo in scrotum perveniat serum. Sed quomodo aut unde in scrotum & speciatim in cavum tunicae vaginalis proveniat, variae prostant scriptorum sententiae. Quidam putarunt ex cavo abdominis hoc liquidum per processum peritonaei, vel per vias alias occultas huc pervenire. Verum quia inter processum peritonaei & cavum tunicae vaginalis, ut supra §. XII. dixi, paries membranaceus interpositus est, ut ne flatus quidem, multominus serum transire possit, adeoque per hanc viam hoc non contingit, praesertim, quia multi sunt ascite laborantes, quorum abdomen sero repletum est, in quibus tamen hydrocele non generatur. In anasarca quidem laborantibus scrotum saepe intumescit; verum in his serum non colligitur in tunica vaginali, sed in scroti membrana ad ipsam destinata. Quidam hoc liquidum, praecipue quia quandoque urinae colorem obtinet, urinam esse credunt; verum nec pro hac ex vesica vel urethra adest via, neque urina super ignem in modum feri coit. Itaque potius, cum testiculi obtineant vasa lymphatica, eisque etiam tunica vaginalis forte non privata sit, vel ex his ruptis provenire poterit, vel etiam ex vasis arteriosis testiculi aut tunicae vaginalis, vel per anastomosis, vel per dieresin, vel per diapedesin, ut veteres locuti sunt, vel &, ut clarius me explicem, per insensibilia tunicarum foraminula quasi transfudare; sed a vasis absorbentibus non absorberi.

## X X I.

Causae remotae. Causa remota quandoque sunt collisiones & contusiones scroti aut testiculorum, ictus, lapsus, equitatio vehementior, aliaque causae externae violentae, quibus vasa tenera lymphatica, sive arteriosa sive venosa sint, laedi atque ita debilitari possunt, ut serum suum hic demittant, vel ut Boerhavius ait [c], si humor ibi secretus, suis vasis non absorbetur, sed stagnat & accumulatur. Quidam etiam errores in victu huc referunt: quos vero valde incertos esse existimo, cum quam plurimi similes aut majores adhuc errores committant, quam ii, qui his morbis laborant, quorum mul-

[c] In Aphorismis suis practicis §. 1227.

multos valde sobrios novit Cel. Dn. Præses, & tamen ejusmodi herniis non corripiuntur. Alii alias causas & subinde valde absomas adducunt, ut exempli loco Hildanus, qui Cent. IV. obs. 66. cum Dodoneo renem sinistrum male affectum accusat; cum enim hic urinam ex vasis emulgentibus non attrahere possit, (quia scilicet male affectus esset) per vicinam venam feminalem illam in membranam vaginalem deponi. Sed condonandum est hoc magnis hisce viris, qui vixerunt & hæc scripserunt, antequam circulus sanguinis fuit detectus. Pudet vero plures ejusmodi adducere. Pergo potius ad legitimam cognitionem hujus mali, in qua quamplurimos ceterum egregios errasse medicos Dn. Præses sæpius expertus est.

## X X I I.

Signa igitur, quæ diagnostica vocant, in hoc malo probe perpendenda, quia error in his, dum quis verbi gratia medicus herniam scroti intestinalem sive enterocelam pro hydrocele haberet, & chirurgus non melius perito mandaret, ut curationem aut aperturam, vel per puncturam cum lanceola, vel cum acu triangulari cuspidata ac tubulo inclusa, quam Troicar vulgo vocant, vel & per incisionem scroti cum scalpello perficeret, intestina his vulnerentur, ex quo vulnere curandus in summum vitæ periculum conjiceretur, cum maximo hujus medici dedecore & infamia. Ex quo exemplo, cum enterocela & hydrocele facile inter se confundi possint, dum signa multa habent similia, patet, quanti sit momenti semiologia sive accurata signorum scientia, licet a variis vilipendatur; dum ex ignorantia aut neglectu illorum ægri sæpe interficiuntur.

Diagnos-  
hujus mali  
est magni  
momenti.

## X X I I I.

Cognoscitur itaque hydrocele generatim ex tumore rotundo in scroto, sensim nato, quem nullus tumor intestinorum ex abdomine proveniens in inguine, sive nulla bubonocela præcessit, qui semper ab initio in scroto permansit, & neque sponte in ventrem, præsertim in decubitu in lecto, intravit, neque pressione scroti in ventrem unquam repelli potuit, & ad tactum paulo mollior est, ut fere vesica humore quodam valde repleta, nec tam durus, ut scirrhi esse solent, neque murmura in scroto percipiuntur, neque dolores colici ventris cum tumore hoc scroti communicantes: quibus adhuc hoc accedit, quod si vesperi post hunc tumorem candela ponatur, tumor plerumque aliquo modo pellucidus appareat.

Signa ejus  
generalia.

## X X I V.

Verum hæc signa sola, nisi adhuc comparentur cum aliis quibusdam herniis in scroto occurrentibus, quæ quoad signa cum hydrocele multum differunt.

Signa  
specialia.

Tom. III.

V v

con-



conveniunt, ac speciatim cum *enterocele* & *sarcocele*, quam cautissimos quandoque fallere possunt, hinc & signa specialia *discretiva* harum hermarum, quibus altera ab altera discernitur, hic subijcere necessarium existimo. Itaque in *enterocele*, præsertim magna, tumor ob intestina contenta, quæ varie contorta, *inequalior*, si rite inspiciatur atque accurate consideretur, apparet; deinde in *enterocele* (nisi intestina, ut in inveteratis subinde fieri solet, extus in scroto adnata sint) cum certo quodam murmure in abdomen reponi possunt, & etiam in decubitu sponte in abdomen relabuntur, scrotumque tunc a tumore illo vacuum prorsusque liberum est: qui vero tumor, si ægri surgunt, redit, dum intestina tunc suo pondere foras rursus prolabuntur. In *hydrocele* autem ab initio & quamdiu duravit, tumor *semper in scroto* & *constanter*, sine omni fere mutatione *permanet*, & neque sponte recedit, neque manibus in ventrem repelli potest. Porro in *enterocele* a scroto versus annulum musculorum abdominis lateris læsi tumor per inguina extensus, adeoque tumor a scroto per inguinem ad annulum usque oblongus est. Verum in *hydrocele* ordinaria tumor solum est in scroto, humorque ultra limites tunicæ vaginalis ejusque septi ascendere nequit, atque hinc figuram magis obtinet rotundam, ad modum vesicæ alicujus inflatæ, aut liquore quodam repletæ.

## X X V.

Alia adhuc signa specialia. Præterea *enterocele laborantes* sæpius tormina sentiunt & colicos dolores & ventre ad scrotum usque sese extendentes, imo haud raro quoque vomitu simul corripuntur; quæ vero symptomata in *hydrocele* non sunt usitata, quia nulla apparet ratio, quare hæc symptomata ab aqua in scroto oriri queant, & non nisi in his accidere quandoque solent, quando magnos forte errores in victu commiserunt, quo in casu quilibet his malis obrui potest. Quare vero illa symptomata in *enterocele* frequentia sint, facile quilibet comprehendere poterit, qui considerabit, quod in *enterocele*, ubi pars eaque sæpe magna intestinorum in scroto hæret, fæces omnes, quæ per alvum excernendæ, primo in scrotum descendere, & deinde per angustum in musculis abdominis foramen rursus ascendere debeant: quo in loco igitur facile excrementa una cum flatibus cohibentur, & in libero progressu versus anum impediuntur: unde fit, ut, præsertim si illi homines cibis crassis, obstipantibus, adstringentibus aut flatulentibus se nimium repleverunt, obstructions alvi frequentes, tormina ventris ac dolores colicos sæpe patientur, & si cibi aut fæces ad partes inferiores, ob vias obstructas, pergere nequeant, ad ventriculum regurgitent atque sic, irritato ventriculo, vomitum concitent, quæ mala cur in *hydrocele* oriantur, nulla est ratio; quia hæc cum intestinis nullam habet communicationem, novitque Dn. Præses ægros aliquot, qui frequentissime & quandoque singulis hebdomadibus colica & vomitu vehementi misere afflicti fuerunt, qui, quod

quod hæc mala ab hernia oriuntur, ignorarunt, & a colica & vomitu illo frequenti liberati fuerunt; postquam ipsis intestina in ventrem repulsa & ope apti vinculi intus retenta fuerunt; cum antea, quod hernia laborent, celaverint & nemini aperire voluerint: immo non pauci, & præsertim etiam nonnulli magnates & verecundiores *passione iliaca* inde correpti, omnino præmature mortui sunt. Contra *hydrocele ut plurimum est indolens*, & cum primis si parva aut mediocris. Verum si tandem magna fit, magis tamen tantum molesta, quam dolens fit; dum ægri difficulter ob molem illam ambulare adhuc difficilius aut vix amplius *equitare*, varioſve alios motus satis promte perficere queunt. Præterea *enterocele prius in inguine ut plurimum*, quam in scroto percipitur, in quod tandem, si negligitur, descendit; *hydrocele vero mox in scroto incipit & sentitur* atque nunquam fere in inguinem ascendit, nisi novum malum in inguine superveniat; id quod tamen valde rarum est, quod extraordinarii quid ejusmodi superveniat. Præterea in *hydrocele ordinaria*, de qua hactenus dixi, *testiculus digitis percipi* nequit, id quod tamen ut plurimum in *enterocele* fieri potest: ubi intestina extra tunicam vaginalem, in processu peritonæi in peculiari sacco, supra septum tunicæ vaginalis hærent.

## X X V I.

Verum longe *difficilius hydrocele a sarcocoele distinguitur*, ut haud raro & medici & chirurgi satis prudentes atque experti hac in re decepti fuerint, sicuti notabile exemplum *Dn. Præsidi* notum est, ubi magnus & expertus chirurgus, dum ejusmodi herniam, præsentibus multis medicinæ & chirurgiæ studiosis pro hydrocele aperuit; sed aperto tumore, videns malum sarcocoelem esse, gallice exclamavit; *Messieurs je me suis trompé*. Nam primo uterque hic morbus oritur in scroto, & quidem eodem fere prorsus in loco, eodemque fere modo sensim sensimque crescit. Deinde *uterque tumor durus & renitens, ac pondere molestus fit*, uterque etiam *sine dolore ut plurimum & oritur & crescit*, atque satis diu *sine dolore* manet. Interea tamen in *sarcocoele* successu temporis quandoque, attamen non semper dolores percipiuntur. Eandem etiam uterque *figuram subrotundam* scilicet sive *ovatam* obtinet, ita, ut mirum haud sit, quod ob tam multa similia signa quam facillime inter se confundantur, & quale horum malorum in hoc vel illo ægro adsit, satis exercitatis, multo minus nondum satis bene his in rebus versatis, certo dicere, sit sæpe difficillimum. Interea tamen *Dn. Præsides* certissima distinctionis signa inter has duas hernias, dum quamplurimos vidit & curavit, esse me docuit, primo quod *in sarcocoele major digitis percipiatur durities, quam in hydrocele*, si exploratio digitis rite instituat, & quod in hydrocele aliqua in scroto percipiatur mollities, & alicujus humoris fluctuatio, quasi in vesica liquore summe infarcta ac distenta. In *sarcocoele* vero sæpe aliqua *lancinationes & dolores*, si



si malum præsertim jam inveteratum est, adsunt. Deinde etiam quidam pro certis distinctionis notis tradunt, quod, quando æger in obscuro loco lumini claro aut candelæ opposito ponatur, & tumor scroti tunc pellucidus appareat, hydrocele certo adsit, id quod etiam facile concedo; verum hoc solum moneo, quod ratiocinatio a contrario hic non valeat, quod nimirum, si tumor non pellucidus reperiatur, non mox argumentari liceat, morbum esse *sarcocelen*. Nam in *sarcocеле* scrotum quidem opacum conspicitur; verum dantur etiam hydrocelæ, ubi scrotum haud pellucidum, sed opacum est, quando scilicet humor intus contentus, ut supra §. VI. jam dixi, atque *Ægineta* jam notavit, sanguinolentus, fuscus aut nigricans existit, atque sic transitum etiam radiis non concedit, ita, ut tactui curioso hic magis, quam visui sit fidendum; at si tamen deinde tumor, adhibita candela, rubicundus intus apparet, liquorem contentum rubrum, sive sanguinolentum, aut alio modo opacum esse suspicari possumus, quam speciem herniæ Dn. Præses in chirurgiæ part. II. cap. 123. *Hematocelen*, forte haud inepte, vocavit. Denique adhuc notari velim, quod *sarcocеле* sæpe sit in utroque scroti latere; hydrocele vero plerumque tantum in unico latere.

## X X V I I.

Hydrofarcocoele difficillime cognoscitur.

Quando autem *hydrofarcocеле*, sive *hernia aquosa & carnosæ* simul adsunt, difficillime cognoscitur: quia aqua carnosum tumorem sive scirrhum testiculi ambit, ita, ut humoris præsentia fluctuatione quidem cognoscatur, sed testiculus durus quandoque tactu percipi nequit. Interea tamen Ill. Dn. Præses magnam ejusmodi herniam anno 1728. in rhedario curandam habuit, in qua sub humore fluctuante etiam tumorem durum sive testiculi scirrhum, qui ovi struthionis fere magnitudinem habebat, tactu percipere poterat. Num vero hoc semper, præsertim in scirrhis testiculorum minoribus, & ubi magna liquoris copia eum ambit, fieri possit, haud affirmare audeo, & in quavis potius hernia aquosa curanda ægris antea indicat, quod non certe initio dicere possit, an sub aquosa hernia non etiam carnosæ adhuc lateat; quæ, si emissæ aqua reperiatur, peculiarem suam curationem desideret. Præterea si hernia aquosa sola adest, ad lumen adversum inspectum, pellucida, præsertim vero *sarcocеле*, opaca erit. Hinc nescio, quomodo factum sit, quod *Hildanus* cent. IV. obs. 65. casum referat, ubi scrotum sibi pellucidum apparuerit, & tamen scroto aperto, cum hydrocele simul *sarcocelen* invenerit. Sed suspicor hanc explorationem non satis accurate institutam fuisse, cum testiculus scirrhosus pellucidus esse nequeat, neque etiam, se illum, aperto scroto, pellucidum deprehendisse, scribit.

X X V I I.



## XXVIII.

Atque hæc sunt *signa hydroceles ordinaria* sive *vulgatissima*, atque antiquis notæ, quibus hæc & fatis cognosci, atque etiam ab aliis affinis malis distingui potest. Verum primo, quod sciam cel. *Boerhavius* in aph. pract. §. 1227, & postea varii alii, qui in Dn. *Presidis* chirurg. p. 342. citantur, memorant, quandoque istiusmodi hydroceles casus observari, *ubi etiam supra testiculum in peritonæi processu*, qui vasa spermatica involvit, & quidem speciatim supra illud *sepimentum*, quod hunc processum a cavo tunicæ vaginalis disjungit, §. XX. indicatum, humorem quandoque colligi p. n. ac tumorem ibidem in inguine ac supra scrotum concitare, testiculumque tunc in scroto digitis tangi posse, tumorem vero in inguine se ostendere oblongum, qui prope testiculum desinit. *Quibus vero signis hic ab enterocele distinguatur*, difficile mihi videtur, illudque etiam apud scriptores illos reperire non potui, velimque, ut illi, qui huiusmodi hernias accurate viderunt, & pervestigarunt, signa vera pathognomonica publicarent. *Palfinus* in chirurgia sua cap. XIV. refert, atque observationibus ibidem enarratis quoque confirmat, *liquidum* in hydrocele subinde *in diversis cellulis hæere*, ita ut una tantum incisione liquor non omnis effluat. Alii scribunt [d] subinde tam in *processu peritonæi*, quam etiam in *tunica vaginali simul*, adeoque *supra & infra illud claustrum*, humores diversis quasi in vesicis sive loculis colligi, sic, ut hydrocele in utroque hoc processu peritonæi cavo hæreat, atque sic *duplex* quasi hydrocele adsit. Imo quandoque *claustrum illud etiam rumpi* illi autores perhibent, atque sic humorem illum p. n. utrumque cavum replere, & quidem sic, ut postea non nisi unum cavum atque unam hydrocelem constituant; quæ vero mala si adsint, difficillime profecto ab entero- & epiplocele distingui poterunt. Interea tamen præcipue distinguenda erunt ex illis signis, quæ §. XXIV. & XXV. dedi, & aliquo fluctuationis signo. Quamquam Dn. *Præses* quamplurimas hernias aquosas viderit & curaverit, tamen tales sibi se nondum repræsentarunt [e], adeoque eas raras imo *rarissimas esse* existimat, & forte nomine *hydroceles extraordinarie* vel *anomale* donari posse, dum proprio nomine nondum eas donatas esse novit; quæ vero si sunt, & *distinctionem hydroceles ab aliis affinis*, imo & curationem valde intricatam ac difficilem reddunt.

Hydrocele  
extraordi-  
naria.

## XXIX.

*Hydrops scroti ab hydrocele & affinis distinguitur*, quod nimirum scrotum æqualiter & in utroque latere, instar cujusdam vesicæ intumescat, curen-

Hydrops  
scroti di-  
versitas.

[d] Ut de la Faye sive *Faius* in notis ad chirurgiam Dionis p. 364.

[e] *Sbarpius* novus scriptor chirurg. Anglus in operat. suis chir. has hydroceles species negat, & non nisi duas, vulgares scilicet, quæ in tunica cellulari & quæ in vaginali est, existere sustinet. Quo autem jure, ipse videat.



temque æqualiter ubique in scroto distendat, quæ inde plerumque nitet, & ut plurimum *foveas digitorum* impressorum aliquandiu servat; cum in *hydrocele* vestigia digitorum non maneant, cutisque rugosa sit, venæ sæpe valde intumescant, & plerumque tumor tantum sit in *alterutro scroti lateris*; neque ullum adhuc novi exemplum, *ubi hydrocele in utroque latere, id quod in sarcocoele D. Præses sæpe vidit, simul sit observata*; licet rationem non videam, cur non esse possit: dum in utroque latere eædem adsunt partes, membranæ & vasa, eædemque hic etiam adesse possint causæ. Sin vero adesset in utroque latere, tamen cutis cum cuticula in hydrope scroti æqualiter expansæ sunt, læves, splendidæ atque nitentes, cum aqua tunc in adipis tunica hæreat, unde sæpe in eandem tunicam, quæ penem quoque sub cute ambit, se extendit, atque penem tunc valde tumidum reddit; cum in *hydrocele* majori penis *minor fiat*, & quasi in tumorem se retrahat & abscondat. *Pueros recens natos cum hydrope scroti sæpius nasci Dn. Præses aliique plurimi cum eo observarunt.*

## X X X.

Quomodo  
ventosa &  
aquosa  
differunt.

Cum denique etiam auctores, ubi de herniis agunt, *hernia ventose*, quam græce *pneumatocelen* adpellant, ut plurimum quoque mentionem faciant, eamque ut herniæ aquosæ valde similem describant, & quod *non nisi loco aquæ sive feri, aër* in scroto contineatur, atque homines fere promiscue omnes, qui medici aut chirurgi experti non sunt, de *herniis ventosis* sæpe loquantur, immo plerumque, si vel ipsi, vel pueri eorum enterocoele laborant, & flatus e ventre in eorum tumorem ingredi sentiunt, tumoremque sæpe inde augeri atque dolores frequentes in eorum herniis intestinalibus oriri, aut jam præsentis inde multum augeri precipiunt, se eorumve pueros *pneumatocoele laborare*, sed falso existimant, dum revera sint herniæ intestinales, ubi flatus in intestinis multa incommoda iis concitant. Ideoque cum Dn. Præses hucusque *nullam veram ventosam herniam viderit*, neque certum aliquod exemplum apud ullum auctorem invenerit, de ejus existentia, sicut in chirurgia sua cap. CXXVII. p. 855. scripsit, adhuc & ego cum ipso dubito. Interea tamen, cum haud *impossibile videatur, dari posse pneumatocelen*, sive ejusmodi tumores ventosos in scroto æque ac in abdomine, *distingui* eam posse, si quæ forte aliquando alicui occurrat, existimo ab hydrocele & sarcocoele, *insigni levitate*, & forte etiam certo sono, si percutitur, quia scrotum aère tantum repletum, ut pila major, quam *Ballon* vocant, vel vesica aère repleta, se habebit, quæ propterea necessario longe minus habebit pondus, quam hydrocele aut sarcocoele, ubi liquore, præsertim crasso & glutinoso, aut omnino corpore duro ac solido, repletum est.

## XXXI.



## XXXI.

Quod ad *Prognosin* attinet, sciendum, malum hoc non facile mortem inferre, attamen haud facile etiam quam valentissimis medicamentis cedere, praesertim in adultis, maxime si jam inveteratum est; attamen in infantibus ac pueris subinde adhuc curari. Deinde quod, etiamsi liquor contentus sectione aut punctura semel educus sit, atque sic ignaris malum ablatum esse videatur, tamen successu temporis, & quidem saepe intra paucas hebdomadas redit, nisi in curatione perfecta, quae educationem liquoris insequi debet, debitis remediis, eisque prudenter adhibitis bene prospiciatur. Adeoque educatione liquoris per lanceolam vel acum triangulari cuspidem & tubulo donatam, quae vulgo *Troicar* vocatur non perfecta, sed palliativa, temporaria & inconstans ut plurimum est, quamvis magni chirurgi vix ultra hanc progrediantur [f]. Praeterea sciendum, quod hydrocele saepe fit morbus perquam molestus, praesertim quando valde magnus & gravis evadit, sic, ut aegri difficulter incedere, atque adhuc difficilius equitare queant; interea tamen, ut jam dixi, vitae periculum non facile infert, novitque Dn. Praeses multos, qui ceteroquin sani cum hoc malo vixerunt, & ex parte adhuc vivunt, atque ad magnam aetatem pervenerunt: quae incommoda tanto facilius ferenda, quia plerumque, nisi alius simul morbus adsit, malum hoc est sine dolore. Attamen quia saepe, imo ut plurimum quando valde magnum sit, penis in tumorem vel omnino, vel saltem magnam partem se abscondit, coeundi & generandi potentiam minuit, aut omnino tollit; quod juniores, aut qui liberos adhuc desiderant, magnopere excruciat; verum in senibus, aut qui liberis instructi sunt, tanto facilius ferendum, quia illa vis etiam ex aliis causis in illis imminuitur. Praeterea etiam si se penis omnino abscondit, urinae quoque excretionem in nonnullis minus commodam; imo prorsus difficilem reddit.

## XXXII.

Mirandum quoque est, serum hic saepe diu subsistere & quiescere sine corruptione; attamen testicularum tunicas, & praesertim dartum & vaginalem, admodum saepe crassas reddit, utpote quae in sano vix duarum linearum habent crassitudinem, in aegris vero hydrocele, praesertim antiqua laborantibus, quinque vel sex linearum & quod excedit, sicut Dn. Praeses vidit, crassitudinem induunt, ita, ut acu illa apice triangulari plerumque non nisi difficillime perforari possint, quando ea humores inde educere volumus, videnturque hae tunicae, imbibendo quasi hunc humorem serosum eo fere nutriri; &

[f] Retulit mihi Dn. Praeses, se aliquoties a Ravio, celeberrimo illo chirurgo, hanc palliativam curationem, sed nunquam perfectam institutam vidisse, ita & Erndelius, qui Regis Poloniae Archiater postea factus est, in itinere suo Angli. & Batav. pag. 121. hanc operationem ab eodem ita institutam descripsit; nullam vero perfectam unquam ab eo institutam esse aut legi aut audivi. Ita & Sharpius palliativam perfectae praefert.



& sic intumescere atque crassescere. Præterea etiam interdum *testiculus ab hoc liquore male affici videtur*, quia varii notarunt, quod hydrocelem etiam *sarcocele* & testiculus corruptus, inde secutus sit: conferri hac de re possunt *Hildani* observat. cent. IV. obs. 64. ad obs. 68.

## X X X I I I .

Prognosis  
hydropis  
scroti, &  
hydrofarcocoeles.

*Hydrops scroti in infantibus*, si ceterum sani, sæpe & subinde facile curatur; in adultis autem, cum plerumque sit symptoma alterius morbi, non, nisi curato prius morbo primario, tolli potest. Si *sarcocele cum hydrocele conjuncta sit*, sive in hydrocele simul testiculus scirrhus corruptus adsit, sine provida refectione totius testiculi, una cum tunica vaginali ac processu peritonæi, haud curatur; hoc autem modo, uterque morbus simul, quamvis non sine periculo, tolli potest.

## X X X I V .

Curatio  
per medi-  
camenta.

Quod igitur ad *curationem* attinet, quia *indicatio* hic est, *aquam congestam, vel digerendam sive discutiendam, vel evacuandam esse, hydroceles & cum primis hydropis scroti curatio in infantibus* & pueris sæpe obtinetur medicamentis digerentibus, discutientibus, roborantibus & evacuantibus. Speciatim vero in *pueris recens natis*, ubi scrotum sæpe instar tenuis vesicæ ab aqua expansum est, egregie prodest, si homo aut mulier sana frustulum nucis moschatae dentibus aliquoties in die comminuat, atque halitu deinde hoc aromatico scrotum tumidum afflet; id quod etiam eodem fere cum emolumento per spiritum vini ore detentum fieri potest, exhibito simul infanti semel iterumque idoneo *purgante*, & dissipandi ac roborandi scopo *pulverem aut confectionem seminis anisi*, vel solum, vel pauxillo cinamomi addito, ita enim Dn. *Præses* se plures hac ratione curasse, me certiore fecit, præsertim si nutrix simul aptum victus regimen servat. Quodsi tamen forte aliquando hæc malum non sustulerint, *aquam calcis tepidam*, qua splenium vel spongiam aliquoties in die irroravit, scroto applicuisse, atque inde optatum effectum vidisse. Ita & *spiritus anisi* cum fructu ope spleniorum superimponitur. Si *pueri jam paulo adultiores* hoc malo conficiantur, egregie iis benefacit, si externe emplastrum de cumino, vel etiam illud de baccis lauri calide scroto circumponatur, huicque splenium spiritu matricali, vel aqua anhaltina, vel & aqua calcis calida, sale ammoniaco admisso, imbutum superimponatur, adhibitis interea *interne sæpe purgantibus mercurialibus, decocto lignorum, essentia lignorum, tinctura tartari*, vel antimonii tartarisata, expectato subinde matutino tempore *sudore in lecto*, ad serum in scroto collectum tanto valentius dissipandum atque exsiccandum; quibus superiori adhuc anno puerum septem annos natum Dn. *Præses* brevi tempore curavit. In his & magis adultis *arcamum duplicatum*, quod a cel. quondam

prac-



practico Ludovico magnopere hoc in malo, præsertim recentiori, ut efficacissimum medicamentum commendatum est [g], itemque pulverem millepedum, nunc cum tantillo mercurii dulcis, nunc sine eo egregia quoque deprehendit. Extus etiam, si laudata emplastra nihil efficiunt, spiritus modo commendati, vel aqua calcis spongia vel spleniis, vel lixivium e cineribus, præsertim ligni quercus, vel e saponem, aut sola, aut spiritu vini roborata, egregie subinde has aquas dissipant. Spiritus C. C. aut liquor C. C. succinatus sæpe illitus, itemque olea carminativa a nonnullis etiam valde commendantur, servata simul semper parca & apta dieta, abstinendo a crassis, crudis, flatulentis, &c.

## XXXV.

Attamen si hæc aliave medicamenta non satis proficiunt, quemadmodum hoc sæpe fit in vera hydrocele, præsertim in adultis, & ægri a molesto hoc malo liberari desiderant, secundum divi Hippocratis præceptum, ad chirurgicas curationes, tanquam ad sacram anchoram, & medicorum & ægrotantium, est progrediendum; ubi vero mox monendum, quod duplex hæc sit curatio, prout supra jam §. 31. innui, nimirum vel perfecta aut radicalis, vel imperfecta, quam palliativam etiam appellant. Duplex enim in hujus mali curatione medicorum scopus est, primo scilicet, ut humor noxius e scroto emittatur sive removeatur, ac deinde, ut nova ejusdem in hoc collectio, (quæ alias facile fit, atque sic malum recrudescit,) prohibeatur. Ad utrumque hunc scopum obtinendum curatio, quæ perfecta dicitur, maxime idonea est; verum per palliativam tantum liquor ille p. n. educitur, & malum raro sine reditus metu hac ipsa perfecte sanatur. Interea, quia tamen interdum sicut nonnulli scriptores referunt, malum tollit [h], ægris magis comoda minusque dolorifica est, promptiusque perficiatur perfecta, hæcque etiam desiderat, ut curandi per aliquot hebdomades non solum domi, verum etiam in lecto se contineant, atque perfecta etiam majores inferat dolores, majorique periculo ægros, præsertim si chirurgus non rite procedat, nec prudentem medicum, cum ad avertenda, tum ad tollenda mala accidentia adhibet, aut curandus non satis apte se gerat, exponit, & palliativa longe facilius etiam, si malum recrudescit, absque adeo magno incommodo aut dolore iterari semper potest, chirurgique etiam minus habiles facilius palliativam, quam radicalem perficere possunt, haud mirandum est, quod hæc modo ab ægris, modo a chirurgis perfectæ, utpote molestiori, magis dolorificæ & periculosiori, sæpe præferatur, quamvis & quandoque ab hac gravia mala observata sint [i]. Quare & nos hic primo palliativam hanc describemus.

Tom. III.

X x

XXXVI.

[g] In misc A. N. cur. dec. I. ann. IX. &amp; X. obs. 1 &amp; 8. item in ejus operibus p. 720.

[h] Ut Massivus, Sharpus, aliique cap. de hydrocele.

[i] Videri hoc potest in Sharpii observat. chirurg. cap. de hydrocele, quamvis hic magnus hujus curationis patronus sit.



Curatio  
palliatiua  
quomodo  
fiat.

*Antiquiores* Chirurghi, ut ex *Celfo*, lib. 7. cap. 22. atque *Fabricio* ab *Aquap.* in operat. chirurg. patet, scalpello scrotum inciderunt, aquam emiserunt, & postea vulnus denuo glutinarunt, eaque ratione multos curatos esse referunt. Verum hac ratione cavum plerumque non satis purgatur & malum facile atque ut plurimum redit. Paulo recentiores, doloris forte minuendi gratia, scalpello *phlebotomo* Gallorum loco vulgaris, vulnusculum parti scroti inferiori inflixerunt, atque vel per hoc foraminulum, vel mediante immisso tubulo plumbeo aut argenteo aquam contentam emiserunt, eaque emissa vulnusculum rursus glutinarunt. Nostra autem ætate *acus sive clavis* teres, apice triangula, fistula argentea aut ferrea aut orichalcea inclusus, quem Galli *Troicar* vocant, quique in *Dn. Præsidis* chirurgia tab. XXIV. fig. I. ad 4. aliisque variis recentioribus libris chirurgicis delineatus est, aquam educendi scopo, longe commodius in hunc finem adhibetur: quo ægro stanti vel in extrema alicujus sedilis parte confidenti, pars scroti inferior atque exterior caute, ne testiculus lædatur, donec prementi chirurgo nihil resistat, pertunditur, id quod ferramentum in cavum tumoris penetrasse indicat: ubi simul sciendum, quod, *quia scroti tunice hoc in malo sæpe valde & quidem ad transversum digiti latitudinem & quod accedit, incrassescunt*, (vid. §. 32.) apex non nimis cito retrahendus est, quia alias tunicæ non perforatæ essent, & liquor non sequeretur. Verum si ferramentum in cavum usque scroti penetrasse certo percipitur, quod uti dixi, inde cognoscitur, si prementi nihil amplius resistit, vel aqua juxta tubulum immisum fig. 4. effluit, clavis, relicta fistula in scroto, retrahitur, ita aqua eum mox sequitur: quæ, ubi omnis effluxit, scrotumque collapsum est, etiam e vulnere retrahitur, atque sic universum opus confectum est, ipsumque vulnusculum sine emplastris aliisque medicamentis sponte ut plurimum coit: imo *ipsi ægri etiam sine omni molestia statim plerumque rursus ambulare atque negotia sua perficere valent*. Verum quia post ejusmodi aquæ extractionem adeo simplicem, & præsertim duas ultimas recentiorum, ubi tam exigua vulnuscula fiunt, per quæ cavum mali purgari nequit, nec solet, scrotum plerumque brevi, aliquot scilicet hebdomadam vel mensium spatio, simili humore denuo impletur, malum exigit, ut ad molestiam a tumore isto removendam modo descripta curatio sæpius iteretur, eaque eo magis, ne humor hic subsistens testiculum corrumpat. Quod igitur si rite perficiatur, ægri hocce malo infestati, sine adeo magna molestia senescere possunt. Verum quia hic modus raro istos homines perfecte sanat, curatio hæc, ut sæpe jam diximus, *palliatiua & imperfecta* a medicis appellatur. Quod si forte in effluxu humoris *aliquid fistulam illam obstruat*, specillo immisso hoc removendum est. Denique adhuc hic sciendum, quod si *humor effluens crassus aut turbidus*, vel omnino *fetidus sit*, tempus esse videtur curationem perfectam

fectam instituire, ne testiculus corruptis ejusmodi humoribus quoque corumpatur, vel omnino in *carcinoma* abeat.

## XXXVII.

Quando igitur ejusmodi mala incidunt, vel ægri, præsertim juniores, alias ob causas omnino ab hydroceles molestiis liberari & perfectam rursus sanitatem recuperare desiderant, *quintuplici ratione hoc obtineri potest. Primus curandi modus est*, ut æger in sedili sedeat, & a ministris, quantum opus esse videtur, probe firmetur. Deinde scrotum circa partem superiorem, ubi aqua continetur, scalpello usitatissimo chirurgico, qualis in D. *Præsidis* chirurg. tab. I. litt. G. vel I. repræsentatur, aliove idoneo, a latere inciditur, donec scalpellum in cavum, ubi humor p. n. hæret, penetravit; id quod ex humoris aquosi effluxu cognoscitur [k]. Postea in hanc plagam immittitur specillum fulcatum, vel quod melius est, index manus sinistræ, si satis patet, atque juxta hujus vel illius ductum immittitur quoque vel scalpellum vel forfex idonea, vel etiam *novacula*, eisque *totum fere scroti latus usque ad fundum aperitur*, quo fit, ut non solum omnis humor p. n. penitus effluat, verum etiam medicus vel chirurgus observare recte possit, utrum forte in testiculo quoque, an alibi in scroto aliquod vitium sit, & secundum explorata postea ac reperta curatio tanto rectius continuari queat; quæ in junioribus & ubi malum non adeo diu duravit, fere sine omni periculo fieri potest. Si itaque *testiculus salvus* & nullum aliud grave vitium in scroto *deprehenditur*, mox solis linamentorum aridorum leniter contortorum fasciculis (quos *bourdonets* vulgo chirurgi appellant,) totum hydroceles cavum modice impletur, postea splenio contegitur & fascia firmatur. *Ante tertium diem hanc deligationem D. Præses non solvit*, & quando tunc illud facit, nihil illorum linamentorum vi evellit, sed tantum quicquid vel sponte excidit, aut facili negotio tollere potest; labia vulneris tunc unguento digestivo foventur, & novis fasciculis linamentorum carptorum eodem unguento obductorum cavum denuo repletur, oræque conteguntur, sicque alternis diebus continuatur, donec priora linamenta omnia exciderunt, id quod sæpe post plures demum dies fit, quo tempore totum scroti cavum simili ratione quotidie deligatur, ita *larga sequitur interioris tunice suppuratio*, quæ, ut bona ejus purgatio & constans glutinatio sequi atque obtineri possit, hic valde necessaria est; nam ab hujus neglectu malum rediisse Dn. *Præses* aliquoties notavit. Interea tamen, *ne scrotum nimis inflammetur*, fomentum ex aqua calcis vivæ cum spiritus vini camphorati quarta parte, addita cerussa & pauxillo salis ammoniaci, superimponatur, non neglectis medicamentis internis, inflammationem & febrem vulnerariam nimis vehementem avertentibus.

Curatio  
perfecta  
scalpello.

X x 2

XXXVIII.

[k] Multi *pungendo aperiunt scrotum*. Rectius vero cum Dn. *Præsidi* hoc secundo fieri existimo: quia sic non tam facile vel testiculus vel vasa spermatica læduntur.



## XXXVIII.

Cautiones  
circa  
membra-  
nas valde  
crassas.

Quando autem *interiores iste membrana nimis crasse nimisque indurata ve-  
periuntur*, quemadmodum plerumque in malis inveteratis, ut supra §. 32.  
a nobis dictum est, esse solent, unguentum digestivum solum iis exedendis  
& destruendis sæpius non sufficit, facies interior earum aut bene *scalpello*,  
cavendo testiculi læsionem, *scarificetur*, aut *mercurius precipitatus ruber*, u-  
na cum alumine isto iis subinde inspergatur, vel una cum unguento digesti-  
vo modica quantitate commisceatur, donec tota munda ac carne rubra con-  
tecta conspiciatur, ubi balsamo vulnerario tandem glutinatio procuretur.  
Quodsi inter mundificandum *corpuscula adipi similia*, ut haud raro fit, in  
membrana interiori conspiciantur, vel forfice simul & semel, vel prædictis  
rodentibus sensim sunt auferenda.

## XXXIX.

Cautiones  
adhuc  
aliæ.

Quod si forte deoperto scroto *vasa seminalia* ad partem testiculi superio-  
rem valde tumefacta deprehendantur, quidam suaserunt, ut *testiculus hic*  
tanquam *corruptus*, *mox resecetur*. Verum hos minime imitari convenit;  
quoniam hæc, postquam ab onere isto aquæ liberata sunt, & prædicto fo-  
mento §. XXXVII. foventur, vel etiam sponte, sicut ut plurimum fit, rur-  
sus detumescunt, & ad statum naturalem redeunt. Quod si vero *hæc vasa*  
*una cum testiculo valde induruerunt* ac dolent, atque carcinoma minitantur,  
*excindendus est*, sicut hac de re infra mox uberius acturus sum. Ita si *testicu-  
lus*, scroto aperto & humore evacuato, *iusto tumidior* deprehendatur, digi-  
tis probe explorandum, *utrum scirrhi duritiem assumerit*, an *fluctuans qua-  
dam materia*, ut quandoque etiam in eo sub tunica nervea deprehenditur,  
ibidem sentiat. Si prius est, ejus curatio infra dabitur; sin vero posterius,  
*testiculus* quoque non pro omnino corrupto, ut quidam fecerunt, mox est  
habendus, & ut varii suaserunt, *extirpandus*; sed potius *scalpello* in loco  
aptissimo *est aperiendus*, *humor noxius emittendus*, unguento digestivo pur-  
gandus & balsamo postea consolidandus, ita sæpe rursus sanescit, & officio  
suo imposterum fungi potest. Sed *si omnino corruptus deprehenderetur*, ut  
inutile corpus, unde nova mala essent metuenda, *prout sarcocele extirpari  
potest*. Atque hanc primam methodum plerique recentiores scriptores, *Shar-  
pio* excepto [1], commendant ceterisque præferunt.

## XL.

Alter cu-  
randi mo-  
dus per  
rodentia.

Quoniam vero *multi ægri scalpellum nimis pertimescunt*, eique se vel pror-  
sus

[1] Hic, ut suam sententiam tueatur, varia exempla recenset, ubi huic operationi,  
forte ob non satis apte institutam curationem, gravia mala inciderunt; interea tamen  
omnes isti ægri, quos in exemplum adducit, convaluerunt.



ris non, vel saltem maximo cum metu & mortis fere terrore se submitunt, quorum vis tanta est, si veteribus atque cel. Winslovio credimus, qui ægrum præ metu ante calculi excisionem mortuum esse assererat [m], alteram methodum in horum commodum prudentiores chirurgi excogitarunt, qua nempe apto medicamento rodente, sive ut græco vocabulo indicari solet, caustico, scrotum hydrocele conflictatum quam commodissime aperiri, & liquor peregrinus emitti potest. Atque hac ratione Dn. Præses non solum & adultos & senes, verum etiam superiori adhuc ætate juvenem, qui occasionem mihi ad hanc dissertationem conscribendam dedit, me multisque aliis medicinæ Studiosis, aliisque variis hominibus præsentibus, tanquam tot testibus, perfecte inde curavit.

## X L I.

Juvenis nimirum erat ex Principatu Anhaltino, sedecim annos natus, cæterum satis sanus, quem parentes huc ad D. Præsidentem ab ejusmodi hernia, qua jam per plures menses laboraverat, ut ipsum sanaret, miserunt. Magnitudo herniæ ovum gallinaceum majus superabat, & in figura I. nostra in lateri scroti dextro [n], sed ob tabulæ parvitatem minor multo, quam erat, exhibetur. Hunc vero juvenem non mox, ut inimici ejus aut ignari sæpe calumniantur, scalpello sive cruentæ curationi submitit, verum quia ægri, & præsertim juvenes, cæterum sani, sæpe medicamentis adhuc ab hoc malo liberantur, prius optima quæque tentare, qualia §. XXXIV. commendata sunt, atque effectum eorum experiri voluit. Postquam vero hic æger per hebdomades quatuor una cum modica diæta iis usus est, ea vero nihil quicquam, ut sæpe in obstinatissimo hoc morbo fieri solet, proficere voluerunt, parentes vero eo ob negotia diutius carere non potuerunt, ipsis itemque affinibus & ægro significavit, vix a remediis hic auxilium sperandum esse, quia tamdiu hætenus frustra adhibita fuerunt; verum ad chirurgicam curationem, si liberari ab hoc malo vellet, nunc progrediendum esse, dixit. Cum itaque huic consilio morem gererent, die quarta Augusti hujus anni, sequenti modo, per rodens medicamentum curationem inchoavit.

Historia morbi.

## X L I I.

[m] Vid. Dn. Præsidentis chirurgicæ instit. cap. 143. §. 13.  
 [n] Hildanus Cent. IV. obs. 64. & Palsinus cap. de Sarcocèle p. 163. volunt, sarcocelen plerumque in dextro, & hydrocelen in sinistro observari latere. Verum Ulbornius in notis chirurgicæ D. Præsidentis belgicæ adjectis, scribit, sarcocelen non in sinistro, & hydrocelen non in dextro latere oriri, p. 943. atque ex latere certam harum distinctionem docere vult. Imo adhuc addit, si forte hydrocele aliquando in dextro latere adsit, certo sarcocelen simul adesse, adeoque monet, ut cautissimi hic simus in aqua lateris dextri per acum educenda. Verum hoc vanum esse, non solum hic noster casus docet, sed D. Præsides etiam has hernias, sicuti enterocelen, modo in hoc, modo in illo latere vidit & curavit.



2. Curatio  
per cauti-  
cum.

Nimirum emplastrum tres circiter pollices longum & duos latum, foramine duos pollices longo, quod digiti latitudinem habuit, externo sive dextro scroti hujus lateri, dum æger in lecto decumbebat, agglutinavit, ita, ut per foramen ejus, spatium litt. E. F. in fig. I. indicatum, conspici potuerit. Huic alterum simile emplastrum superimposuit, ut oræ foraminis altiores redderentur, ne rodens medicamentum huic spatio imponendum, ex eo facile decideret, eique deinde horis matutinis hoc medicamentum in tanta copia immisit, quam sufficere judicavit, pro tegumentis scroti communibus omnibus, & ex parte etiam specialibus, *ad tunicam scilicet vaginalem usque erodendi*; illud linamentis carptis & emplastro integro præcedentibus paulo majore, tegit, splenium superimposuit, & fascia quatuor frondibus firmavit, ægrumque ut per aliquot horas strenue quiescat, jussit. Horis sex septemve elapsis, ægrum fedili imposuit, ligaturam solvit, splenium & emplastra removit, medicamentumque, quantum factis est, partes perforandas erosisse, invenit, ita, ut si inciderentur, nullum amplius sanguinem funderent, ægerque nullum a perforatione sive sectione dolorem perciperet. Itaque partem erosam primo circa medium, ubi in fig. I. litt. B. posita est, scalpello obtuso, incidit, & immisso postea digito, vulnus sursum & deorsum, ad litt. E. & F. ampliavit, ita *liquoris glutinosi, albicantis, albo ovorum fere similis*, quantitas trium quasi unciarum effluxit. Cavum vulneris in quo, ut in fig. II. litt. G. H. indicatur, testiculus litt. I. conspici poterat, linamentis carptis probe replevit, illudque postea ita deligavit & tractavit, ut in præcedentibus modo §is XXXVI ad XXXVII. dictum est, atque sic illud sex hebdomadam spatio, sine gravibus supervenientibus symptomatibus, nisi quod prima hebdomade febricula aliqua, diætæ tamen aliquo magis errore, quam vulneris culpa, supervenerit, quæ tamen sine venæsectione, solis medicamentis calorem p. n. temperantibus, brevi rursus profligata est.

## XLIII.

Hicmodus  
a multis  
male reji-  
citur.

*Garengeot*, quem *Sharpus* in operat. suis chirurg. & *Faius* in notis ad *Dionisium* sequuntur, *rodentium medicamentorum usum in hoc morbo* rejicit, atque ab his multa mala pertimescit: quia putat, hæc medicamenta in scroti cavum intrare, ibidemque testiculum arrodere, imo destruere &c. Verum omnes hi scriptores hic non ab experientia sive ex usu loqui, dum nullus exempla, aut observationes hoc probantes adducit, sed se invicem tantum sine experientia hac in re sequi mihi videntur. Nam certum est, illud quod metuunt, neque in hoc, quem recensui casu §. XLI. & XLII. *neque in nullo alio agro, quorum tamen plures, & inter hos etiam magnates & nobiles*

biles ab hoc morbo hac ratione liberavit, contigisse, quippe quibus nihil mali, neque in testiculo, nec alibi in corpore ab his remediis illatum est, & si quid forte adversi quibusdam chirurgis hic acciderit, profecto id non medicamentis his, sed potius incauto, vel perverso eorum usu factum esse cenfeo, atque sic huic mala, quæ forte contigerunt, adscribenda esse existimo. Nam si rodens ita dirigitur, ut non in cavum usque scroti partes exedat, sed in tunica vaginali subsistat, id quod prudenti usu fieri potest, testiculo etiam nihil nocere potest. Imo si etiam aliquando forte fortuna contingeret, ut & hanc eroderet, liquor tunc impetu quasi erumpens medicamentum rodens repellat, aut si quid forte etiam incideret, primo jam vis ejus rodens in exedenda cute, pinguedine, membrana darto, & tandem valde crassa hic plerumque tunica vaginali, ut §. XXXII & XXXVIII. indicavimus, in his ægris jam valde imminuta aut destructa est, & deinde, si tantillum etiam cum liquore intus hærente commisceretur, partim ab eo uberius temperatur, partim cum eo rursus effluit, ita, ut vix ulla læsio in testiculo inde sit metuenda, nisi quis quam imprudentissime procedat, & in rodentis copia excedat. Nam D. Præses in recto usu, & in hoc & aliis, nihil quicquam mali inde vidit, & cum eo etiam præstantissimus ille chirurgus Anglus Job. Douglas consentit, qui in syllabo operat. chirurgicar. pag. mihi 39. aperte causticum sectioni, punctioni & setaceo præfert.

## X L I V.

Tertius modus, quo perfectam hydroceles curationem quæsierunt medici, est setaceum: quando nimirum acus, setaceis alias excitandis destinata, (quæ videri potest in D. Præsidis chirurgia tab. 18. fig. 12.) linteolum digiti latitudine & pedis circiter longitudine crans, in latere scroti externo, ut verbi gratia in figura nostra I. ad litt. E. sic infingeretur, ut juxta litt. F. rursus egrederetur, cavendo ne testiculus aut vasa spermatica ea lædantur, quemadmodum etiam Scultetus hoc figura illustravit in Armam. chirurg. Tab. XL. fig. I. licet de alio malo ibidem, quam de hydrocele agat, qua acu linteolum a scroti parte superiori ad inferiorem per cavum, ubi aqua hæret, inducitur, quod in eo relinquitur, & quotidie inuncto digestivo unguento, sicut in setaceo cervicis, hinc inde sursum ac deorsum commovetur, ita enim non solum humor vitiosus inde sensim educitur, verum etiam suppuratio ejus ope intus in scroto excitatur, qua, si per aliquot hebdomades, donec scilicet nihil vitiosi humoris amplius profuit, conservatur, & subinde digestivo aliquid mercurii præcipitati rubri, cum alumine usto admiscetur, ita partes noxiæ inde expurgantur, ut constans curatio inde sæpius secuta sit; postquam extracto tandem rursus linteolo, utraque vulnuscula balsamo vulnerario glutinantur. Verum quia hac in methodo testiculus primo lædi potest, & deinde intro inspicere, & recte

3. Curatio  
per seta-  
ceum.



recte scire non possumus, *an cavum scroti sic satis sit purgatum*, itemque *utrum testiculus satis sanus sit*, an vitium aliquot in eo lateat, ea ceteris, me iudice, merito postponenda: quia hæc curatio valde est incerta, atque post eam, ne malum recrudescat, semper metuendum.

## X L V.

Quarta  
methodus  
Ruyfchi &  
Marini.

Quarta methodus *Ruyfchiana* dici potest, qui in *Advers. Anatom. Dec. II. p. 22.* ait. Si *curationem (hydroceles) aggredieris*, *aperiendo scrotum in parte superiore ad latus*, tumque *vulnus turunda oblonga*, unguento *rosaceo*, *mercurio præcipitato rubro permixto*, *innicta oppleveris*, donec *lenis inflammatio*; eique *succedens suppuratio parva*, *membranulas stillantes putrefecerit*, tuque *eas tenaculo eduxeris*, sepe deinde *perfecte sanatas observavi*. Cum hac curandi ratione convenit fere ea, quam *Marinus* postea, unus ex recentioribus chirurgis italis haud adeo pridem, tanquam usitatissimam, ut dicit, (*sed forte in Italia non in Germania, neque in Gallia aut Magna Britannia*) descripsit, ceterisque omnibus prætulit. „Nimirum, præparato prius corpore, *scrotum* mox sub *inguine*, in *parte scilicet ejus superiore*, sicut *Ruyfchius incidit*, ea magnitudine, ut per *plagam digitus* & postea *turunda digiti crassitudine*, & *trium digitorum transversorum longitudine*, ex *cera facta*, immitti queat, *cujus apex*, ut ait, *paululum incurvata sit*. Hæc unguento *dialthææ* inungitur, & per *plagam cavo scroti* immittitur; ubi, postquam per *XXIV. horas* relinquitur, *pars inflammata* reperietur. *Aqua* non evacuatur, sed *turunda sensim brevior* efficitur, prout scilicet *cavum* minuitur; *tumor* vero *emplastro emolliente* digeritur. Quando *suppuratio* bene succedit, *turunda unguento digestivo* imbuitur, in *scrotum* vero unguentum *rosatum* immittitur. *Septem diebus præterlapsis* *turunda oleo hyperici composito* inungitur, *sinus* bene purgatur, & *tumore resoluto vulnus sensim* minuitur, *carne* impletur, & tandem *turunda* tollitur, *servataque diæta* vulnus glutinatur. Patet ex his *Marinum* in rebus præcipuis sive essentialibus, ut aiunt, a *Ruyfchio* vix differre, nisi quod *medicamenta forte præter necessitatem multiplicet* & quod præcipiat, ne *curatio hæc scorpione dominante* suscipiatur, quia hoc *curationem* valde protraheret. Verum *ad signa celestia in curationibus respicere velle*, hodie ridiculum, *superstitiosum* & *medico genuino indignum*, merito a prudentibus habetur, idque eo magis, quia *Dn. Præses* ante *biennium* demum, *virum* in hoc ipso *scorpionis signo* ab isto malo, æquali temporis spatio, quo aliis temporibus sive signis alii curantur, *perfecte restituit*. Verum circa hanc methodum adhuc monendum, *quod quidem, ubi testiculus adhuc sanus, ut plurimum bene succedat; sed si vitium in testiculo subesse suspicamur, vel certo adesse antea scimus, primam vel alteram, §. 37. ad 40. descriptam, huic præferendam esse censeo.*

## X L V I.



## XLVI.

*Circumforanei nostri* Chirurgi radicalem hydroceles curationem sequenti ratione, sed pessimo consilio, perficiunt. Nimirum *inguen & scrotum supprenum eodem modo, ac si enterocelen vel sarcocelem secando curare vellent, incidunt*, peritonæi processum digitis quærunt, eumque a vicinis liberant; postea & *tunicam vaginalem*, in qua hæc hernia *una cum testiculo*, sive fanus hic sit, sive corruptus, e *scroto* & quidem sæpe admodum rudi & dolorifico modo evellunt; processum peritonæi funiculo firmiter ligant & constringunt, atque sub ligatura facta totum rescindunt. Quidam ligaturam processui peritonæi jam injiciunt, antequam testiculum evellunt, quod fere perinde est. Verum, hunc agyrtarum curandi modum, quia histriones illi pessimi præter necessitatem ægros non solum evellendo testiculum crudeliter tractant, eoque ipso convulsiones & mortem sæpe ægris inducunt; vel saltem, si morti se subducunt, testiculo bono, parte ad generationem adeo necessaria, quæ servari potuisset, privant, in simplici & ordinaria hydrocele profus rejiciendum esse censeo: conferri potest *Hildani cent. IV. obs. 68.* qui periculum hujus curationis satis probavit.

Quintus  
curationis  
perfectæ  
modus.

## XLVII.

Sed si *hydrocele cum sarcocele*, sive testiculo in scirrhum corrupto, combinata, vel *testiculus* alia ratione, ut putredine vel ulcere mali moris *corruptus esset*, tunc omnino hæc methodus, quamvis paululum emendata, recte adhibetur, ut sic hac ratione & testiculus vitiatus & tunica vaginalis, quæ sedes est hydroceles, & forte quoque organum secretionis humoris vitiosi, simul tollantur; quo vero in casu prudens chirurgus blandiori, securiori & minus crudeli modo, quam rudes illi circumforanei agunt, procedere potest: nimirum non vi evellendo tunicam vaginalem cum testiculo, a tunica darto, & lacerando partes annexas, valde sensibiles & nervosas, quæ evulsio vehementissimos dolores & facile inde sequentes convulsiones ac mortem concitat; sed potius, majore scroti incisione, & deinde cauta tunicæ vaginalis a scroto per scalpellum & forficem separatione, qua dolores inducuntur minores, & sic etiam leviora ut plurimum sequuntur symptomata, atque curatio sic facilius, certius ac citius obtinetur.

Hydrosarcoceles  
curatio.

## XLVIII.

Denique adhuc monendum, quod maxima semper cautione opus sit, ne forte hernia scroti intestinalis sive enterocèle pro hydrocele habeatur, & pro hac scalpello incidatur: quia sic intestina imprudenter facile discinderentur.

Monita  
quædam.

Tom. III.

Y y

&



& ægri ex imprudentia ejusmodi chirurgi interficerentur. Præterea *ne curatio perfecta facile in senibus decrepitis, aut alias valde debilibus instituaturs*; quia in his symptomata supervenire possunt, quibus æger interimitur. Adeoque suadeo, ut in his chirurgi malum vel intactum relinquunt, quia multi cum ejusmodi herniis ad magnam senectutem perveniunt, vel ut solum cura palliativa per intervalla eos tractent, quo ad tempus a molestiis nimis magnæ hydroceles eos liberent, atque negotia sua promptius peragere possint. Ita enim *Ulborinus* viro *nonagenario*, ut scribit, aquam hoc modo feliciter, trium mensurarum pondere, acu cannulata eduxit, loco cit. p. 944. sic *in pueris etiam haud facile curatio perfecta est instituenda*; eaque omnium minime cum testiculi extirpatione, ut agyrtæ sæpius facere solent; quia *palliativa eis sæpe sufficit*, eaque haud raro curantur.

## X L I X.

Curatio hydroceles in processu peritonæi. Tandem etiam de ea hydroceles speciei curatione, *que secundum nonnullos supra illud septum transversum tunica vaginalis*, in processu peritonæi, juxta inguina, hæret, quamvis a *Dn. Præside* nondum sit visa, & a recenti supra citato chirurgo Anglo *Sbarpio* nimirum, ut alias jam dixi, (p. 25.) prorsus negetur, verbum addam. Scilicet, *si hanc speciem hydroceles certo adesse cognoscimus*, atque evacuantibus ac resolventibus supra §. XXXIV. laudatis, cedere recuset, incidi eo in loco debet, ubi humor p. n. hæret, & per factum vulnus emitti, locus vacuus postea, sicut de tunica vaginali purganda supra §. 37. & 38. diximus, mundari & postea glutinari. Verum hic rursus, prout §. 48. docuimus, quam maxime est prospiciendum, *ne bubonocèle* sive hernia intestinalis in inguine hærens, loco ejusmodi hydroceles incidatur aut acus punctura aperiatur, ob periculum & rationes ibidem modo indicatas.

## L.

Si aqua in pluribus cellulis. Postremo si hydroceles *materia in diversis cellulis continetur*, prout *Palsinus* in chirurgia, cap. de hydrocele, alique se vidisse scripserunt, sic, ut una aperta tantum pars ejus effluat, cæteræ vero ab humore distentæ maneat, *hæ quoque seorsim sunt aperiendæ*, donec omnes depletæ sint; hunc vero in finem *Palsinus* medicamentum rodens ferro præfert: quia illo omnes cellulæ, ut existimat, simul aperirentur [o]. Aut, si, ut *Fajus*

[o] Si pluribus in cellulis hydrocele hæreret, *morbis hic forte magis erit in tunica, que cellularis vocatur, quam in tunica vaginali*: quia haud manifestum est, quomodo in vaginali, quæ unicum tantum cavum habet, plures cellulæ esse possint, & nullus adhuc ejusmodi cellulas ex cadaveribus incisis probavit.

*Faius* tradit, aqua tam infra, quam supra septum illud processus peritonæi transversum collecta sit, tam tunicam vaginalem in scroto, quam processum peritonæi in inguine aperiendum esse docet l. c. p. 395. Verum quia de purgatione horum locorum nihil dicit, curationem tantum docet palliativam. Itaque si radicalis desideratur, non solum erunt aperienda, sed etiam purganda, atque tunc demum rursus consolidanda, observatis probe illis cautionibus, quas §. XLVIII. circa incisionem herniarum aquosarum dedimus. Quodsi rupto claustro illo processus peritonæi, tam hic, quum vaginalis tunica repleta sit aqua, unica quidem punctura circa partem inferiorem tota cavitas, ut *Faius* ait, evacuari potest; sed cum quoque de perfecta curatione taceat, totum cavum aperiendum atque purgandum esse, ut in vulgari hydrocele, existimo. Atque hæc optima mihi esse videntur, quæ de hisce herniis hodie optimis medicis atque chirurgis sunt perspecta.

F I N I S.

Y y 2

DIS-

DISSE





DISSER-



L X X V I

DISSERTATIO  
MEDICO-CHIRURGICA,  
DE SARCOCELE.

*Quam Præside*

D. D. LAUR. HEISTER,

*Tuebatur*

CHRISTIAN. DANIEL HEISE,

OBISFELDA-MAGDEBURGENSIS

Helmſtad. 15 Junii anno 1754.

Y y 3

